

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Angelus k  
cum fonte primo

Angelorum uocabulum nomen est officii,  
non nature. Nam sancti illi celestis patrie  
spiritus semper sunt spiritus  
sed semper uocati angeli nequaquam  
possunt. Tunc solum sunt angeli  
cum per eos aliqua nuntiantur,  
unde Psalmo:  
Qui facit angelos suos spiritus.

Hii ergo qui minima nuntiant angeli,  
qui uero summa nuntiant, archangeli uocantur.

Greca enim lingua angeli nuntii,  
archangeli uero summi nuntii uocantur.

Qui idcirco priuatis nominibus censentur  
ut Michael, Gabriel, Raphael,  
ut signetur eciam per uocabula  
quid in operatione ualeant.

Gregorius in omelia: Erant appropinquantes.

- Graeca etenim lingua angeli nuntii, archangeli uero summi nuntii uocantur.  
Sciendum quoque quod angelorum uocabulum nomen est officii, non naturae. Nam sancti illi caelestis patriae spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper uocari angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt angeli cum per eos aliqua nuntiantur.  
Vnde et per psalmistam dicitur: Qui facit angelos suos spiritus (Ps. 103:4).  
Ac si patenter dicat: Qui eos quos semper habet spiritus, etiam cum uoluerit angelos facit.  
Hi autem qui minima nuntiant, angeli, qui uero summa annuntiant, archangeli uocantur.  
Hinc est enim quod ad Mariam uirginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministerium summum angelum uenire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.  
Qui idcirco etiam priuatis nominibus censentur,
- ← ut signetur per uocabula etiam in operatione quid ualeant.
- ← Michael namque quis ut Deus, Gabriel autem fortitudo Dei, Raphael uero dicitur medicina Dei.
- Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.34.8 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.306, ll.180-193).
- Michael namque quis ut Deus, Gabriel autem fortitudo Dei, Raphael uero dicitur medicina Dei.
- Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.34.9 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.307, ll.199-200).